

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
TERRA PONDEROSA
SALITA
EIVSQVE VSV MEDICO

Q V A M
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O
C A R O L O A V G V S T O
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THV.
RINGIAE REL.

C O N S E N S V
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
P R O G R A D V D O C T O R I S
S V M M I S Q V E

IN MEDICINA ET CHIRVURGIA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

A. D. I. OCTOBRIS MDCCCLXXXIII.

P V B L I C E P R O F E N D E T

A V C T O R

IOANNES FRIDERICVS PETERMANN
STETINO-POMERANVS.

I E N A E,

T Y P I S G O E P F F E R D T I I.

H. I.
204.

DISPENSATIO IN REBUS MEDICIS
lib. 1.
TERRA FONDITOSA
SALITA
FIVEVE PER MILLE

ANNO 1700
VICIUS JOHANNES MATHIAS DOMINGO
SALVATORIS MATHIAS DOMINGO
H. M. 1700

Med. V 207

²Be



IOANNES MATHIAS DOMINGO
SALVATORIS MATHIAS DOMINGO

129269201

V I R O

EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO

CHRISTIANO HENRICO
KIESEWETTER

MEDICINAE DOCTORI AC PHYSICO

PRAEFECTVRAE WAHRENSIS MALCHOWIENSIS ETC.

FAVORI ET PATRONO SVMMOPERE
COLENDO

HASCE QVALESCVNQVE

STVDIORVM ACADEMICORVM

PRIMITIAS

CONSECRAT

MEDICINAE DOCTORI AC PHYSICO

HABITANTE WAHRENSI MAIOWIESENIS 210

AUTOR ET AVTOR

IOANNES FRIDERICVS PETERMANN

P R A E F A T I O.

Q uotidie nova medicamenta depraedican-
tur, et quisque fere, qui nomen Medici pro-
fitetur, artem salutarem farragine medicamen-
torum amplificare studet. Nonne igitur cui-
que Medico curae cordique esse debet, om-
nem navare operam, ut quodcunque medica-
mentum publici juris factum rite disquirat et
usum ejus magis determinet. Nonne huc etiam
barytes salitus pertinet? cujus tamen vires a
pluribus experientissimis viris, Anglis *) et
Germanis **) celebratae fuerunt. Sed adhuc

est

*) DUNCAN, (*Medical Commentaries* Dec. II. Vol. 10. p. 435.)
Adair CRAWFORD, (*Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte*. Leipz. 89. Bd. 13. S. 691.) HAMILTON. (*On scrophulous affections* 1791.)

**) Inter hos nominò Ill. HUFELANDIUM. Praeceptorem maxime devenerandum (*Erfahrungen über die Kräfte und dem Gebrauch der salzsauren Schwererde in versch. Krankheiten*, Erf. 1792.) et KLOHSIUM (*Medicinische Bemerkungen über die Wirksamkeit und den Gebrauch der salzsauren Schwererde*, Zerbst 1795.) nec non Ioa. Sigismundum GOERLINGIUM, (*De terra ponderosa salita*, Erford. 1792.)

est lis sub iudice, an hoc medicamentum eiusmodi possideat vires, vt aliis ejusdem classis medicamentis palmam praeripere possit? Qua de re cum mihi sit imposita lex, secundum mores Majorum argumentum quoddam pro summis in arte salutari honoribus obtinendis pertractare, mecum constitui hanc materiam iterum disquirendam sumere et periculum facere, num meis quibuscunque observatiunculis, una cum aliorum Cl. Virorum observationibus, quibus placuit precibus meis hac in re cedere, ad uberiores effectuum huius remedii dilucidationem aliquid conferre possem. Hac via vero incedens, hocce opusculum duabus sectionibus comprehendi, quarum altera historiam vberiores huius remedii, altera practica continet. Quod reliquum est, ignoscas, Lector beneuole, tironi medico, si plura nec rite et ornate dicta, nec omnibus absoluta fuerint numeris,

§ § §

SECTIO I.
CHEMICA.

§. I.

Terra ponderosa, quae, pluribus veteribus chemicis e. g. MARGGRAVIO videbatur ad calcarias pertinet, est terra sui generis, quae quidem quibusdam phaenomenis ad terram calcariam accedit. Sed vti SCHEELLE *a)* jam annotavit, qui eam, in variis magnesia vitriariae generibus et cineribus plantarum inuenit, et GAHN *b)* qui primus illam detexit, est altera pars constitutiua spathi ponderosi, vti etiam post GAHNIVM ipse SCHEELLE nobis communicavit.

Miror varios scriptores, eosque egregios, terram ponderosam pro calcaria habuisse, vti e. g. CRONSTEDT *c)* et ipse Ill. HAGEN. *d)*

A

§. 2.

a) *Abhandlung vom Braunstein von CRELL, N. Entdeck. Th. I. S. 113. 124. 153. Schwedische Abht. Jahr 1774. Beschäft. der Berliner Gesellschaft naturf. Freunde B. IV. S. 611. Abhandl. von Luft und Feuer §. 95. CRELL N. Entd. Th. III. S. 143. Falso igitur clar. Girtanner (in Anfangsgründen der antiphlogistischen Chemie, Berlin, 1792. S. 192) contendit, BERGMANNVM eam primum invenisse.*

- b) *Chemische Vorlesungen*, §. 167. S. 270.
- c) *Versuch einer Mineralogie* von WERNER, Band I. Th. I. Leipzig 1780. S. 89.
- d) *Grundriss der Experimentalchemie*, Königsberg und Leipzig 1786. S. 91. No. 2.

§. 2.

Terra ponderosa in regno naturae acido vitrioli, aëris, et salis juncta e) reperitur. Quae acido aëreo jungitur, *barytas aëratas* et a WERNERO *witherites* nominatur, quoniam WITHERING, Anglus, primus in Anglia Moori in provincia Cumberland f) et prope Leadhill in Scotia eam reperit. Ratione externae formae alumini similis est, grauitas specifica est 4, 331. textura ejus est striata, et centenario continet 78 terrae, 20 acidi, sed nullum vestigium aquae. BERGMANNUS g) a BLACKIO frustum hujus terrae accepit, ponderis unciarum trium et drachmarum duarum, cujus forma erat conglobata, vel formabat convolutum cuneiforme crystallorum ex vno puncto exeuntium dense sibi inhaerentium. Nonnulli erant prismata tetraedra. Hi crystalli continebant magnam partem terrae calcariae, ita vt sit ratio huius ad terram ponderosam vti 92: 8. Haec omnino memoratu digna a BERGMANNO prolata tanquam vltimum omnium laborum ejus documentum nobis communicauit clar. KLAPROTH. h) His commotus frustum ejusmodi terrae, quod ab alio quodam homine accepit, disquisitioni subiecit: erat vero illud ex fodinis carbonum ducis Bridgewater, in prouincia Lancashire inuentum, fissum erat, spermaceti simile. Vncia dimidia hujus terrae in Vncia dimi-

dimidia acidi nitri cum uncia aquae destillatae diluti, cum adhuc unciam unam et dimidiam aquae destillatae adderet, penitus solvebatur et iterum crystallifabatur. Ultimi crystalli quodammodo humidi erant, et omnes erant pondere drachmarum quinque et granorum viginti. Id quod humidum remanebat cum spiritu vini purificatum est, quo facto ope falis alcali volatilis granum dimidium terrae aluminaris ferreae praecipitatum est. Haec terra ponderosa aërata invenitur etiam in Anglia in fodinis plumbi, quae sunt in Comitatu Angliae Lancastrensi. i) Terra aërata est colore albo lacteo et formas crystallorum exhibet stelliformes: alii sunt hexaedrae, vel in pyramides hexaedras finiuntur vel in pyramides duplici modo hexaedras aut duplici modo tetraedras. Semipellucida est, cultro abradenda, fragilis, ponderosa fere simili gradu quam spathum ponderosum. Gravitas eius specifica est secundum WATT 4, 300 vel 4, 338. In fodinis carbonum Worsley k) in metallifodinis quae sunt ad Zmeof in monte Sibirico Altai, l) et in montibus Saxoniae prope Gersdorf m) reperitur. Secundum Anglum WATT n) venenum mortiferum est animalibus, quanquam nuperrime a BUCHOLZIO o) venenata hujus substantiae vis in dubium vocata fuerit. Sed liceat haec paullo uberius explicare.

e) SCHAEFFER *Chem. Vorlesungen*, S. 325. Ann. vbi BERGMANN asserit, ab HELM certiore factum esse, terram ponderosam salitam variis in aquis provinciae Westgothland reperiri.

f) CRELL *Chem. Ann.* Band 2. 1784. S. 388.

g) CRELL *Chem. Ann.* Band 2. 1785. S. 217 — 220.

h) *Ebend.* S. 240.

- i) BLUMENBACH vid. VOIGT *Neuestes Magazin aus der Physik und der Naturgeschichte*, Band 7. St. 3. 1791. CRELL, *Chem. Ann.* St. 12. S. 511 — 519. *Bergmännisches Journal*, dritter Jahrgang, 1790. S. 216.
- k) CRELL *Chem. Ann.* 1785. Band II. S. 217.
- l) *Annales de Chimie* Mars Decemb. 1792.
- m) SCHMIDT *de Baryte muriato*, Lips. 1793. p. 7. §. 3.
- n) secundum GIRTANNERUM, vid. BLUMENBACH *Medicinische Bibliothek*, Band 4 St. 3. S. 429.
- o) *Chemische Untersuchung über die vorgeblichen giftigen Eigenschaften des Witherits, der Schwererde und der salzsauren Schwererde*, Weimar 1792.

§. 3.

Non solum cl. WATT sed etiam Exp. LEIGH*) retulit, inueniri varias species spathi quae interne fumtae et vomitum et diarrhoeam summam producerent. Experimenta declarant, libram vnam exhibere drachmam unam arsenici, et drachmam hujus spathi mortem foeminae post novem horarum spatium intulisse. Cl. WATT plura experimenta cum animalibus instituta adduxit et in genere annotavit, metallorum follores terram ponderosam aëratam in vicinio loci Anglezarck adhibere ad glires interficiendos: Cl. WATT dabat cani drachmam vnam terrae ponderosae aëratae subtilissime comminutae cum carne bovina assata, et canis post XII horarum spatium moriebatur. Cani catulo grana quadraginta terrae ponderosae aëratae subtilissime pulverisatae cum lardo exhibebat, quo facto canis vehementer vomebat et magna alvi profusione laborabat, insequenti

quenti vero evitā decedebat. Etiam Thomas HENRY haecce experimenta repetiit cum eodem effectu. Cl. WATT etiam terram ponderosam salitam crystallifam adhibebat et ejus effectum in animalibus animadvertere studebat. Dabat igitur canī grana triginta huius salis cum lardo. Elapsis minutis tribus, spuma ante os adfuit, fastidium cibi cum siti ardente eum corripuit, ita ut aquam sibi appositam avidè ebiberet. Laborabat summo alvi profluvio et inquietus erat. Rejectis vero post aliquod tempus, quae in stomacho continebantur, elapsō XII horarum spatio convaluit. Idem canis post hebdomadis spatium accepit drachmam unam terrae ponderosae salitae crystallifatae et symptomata eadem observata sunt; die sequenti vero sanus evasit. Eadem fere symptomata a terra ponderosa nitrata observata sunt. Cum vero Cl. WATT omnia symptomata nociva ab assumpta terra ponderosa aërata in animalibus observata ab aëre fixo pendere putaret, eam in furno fictili urendam curavit, et quamquam experimentis certior redditus fuerit hancce terram non omnem aërem fixum perdidisse, quia post vltionem adhuc cum acidis efferbuit, tamen eam adhibuit: et quamquam canis adultus unicam drachmam huius terrae tantummodo accepit, tamen vomitu et diarrhoea correptus est. Ex hisce brevissime relatis satis apparet, hancce terram ponderosam animalibus quidem non esse mortiferam, sed tamen nocivam. Ab animalibus vero ad homines conclusio non valet. Monendum quoque est, aërem fixum, si in terra ponderosa nocet, in saturatione cum acido satis evolare. Etsi autem haec vera sint et experientia stabilita, tamen omnino omni attentione digna sunt ea experimenta chemica, quae instituerunt Ill. BUCHOLZ**) et cl. HOFFMANN,

ad detegendum arsenicum, quod huic terrae inesse dictum est. Accepit Ill. BUCHOLZ terram ponderosam aëratam vel witheritidem ab Ill. Sulzero, eaque erat forma globata et pondere unciarum quinque. Cum suspicio aderat arsenici, grana trecenta hujus terrae in aquae destillatae unciis quinque coctae sunt ad remanentiam dimidiae partis, et hoc decoctum tincturae laccae musicae aquae calcis recentis et liquoris probatorii HAHNEMANNI ope examinatum est, sed nullum vestigium arsenici apparuit. Eadem erat ratio, cum spiritum sulphuris Beguini, sal ammoniacum cupratum et solutionem cupri vitriolati adhiberet, nec apparebat odor alliaceus, cum hancce terram lamina cuprea igniare studeret. Porro hanc terram in acido vitrioli solvere tentabat, ast fere nullo effectu. Sed e contrario grana centum huius terrae a drachmis tribus acidi salis minime cum acido vitrioli contaminati et unciis duabus aquae destillatae diluti, coctione continuata et additione unciarum duarum aquae destillatae penitus solvebantur et crystalli inde enati, terrae ponderosae salitae similes erant, atque in aqua soluti et praecipitati cum alcali aërato fixo vegetabili nonaginta novem grana terrae purae exhibebant. Nec sublimationis ope arsenicum et cuprum nitratum e witherite apparebat. Idem erat effectus si witherites oleo olivarum impraegnatus igni exponebatur. Quum vero praesertim Ill. SULZER symptomata in animalibus observata a fluido elastico ignoto derivaret, etiam ad id detegendum Ill. BUCHOLZ experimenta instituit, et quidem Gas quoddam obtinuit, quod nihil aliud erat nisi aër fixus. His praemissis probare studuit, symptomata lethifera solummodo a gravitate et textura, huic corpori minerali propria, esse derivanda. Nihil igitur obstat,

obstat, quo minus terram salitam ponderosam adhibeamus, quum experimentis chemicis satis evictum fuerit, nec arsenicum nec aliud principium noxium ipsi inesse. Si etiam spathum ponderosum cum ferro, plumbagine, magnesia vitriariorum, bismutho, cobalto, cupro, niccolo fuerit imbutum, facillime secundum experimenta Ill. BUCHOLZ ad Cl. ILSEMANNI ***) methodum instituta, dummodo aliquid purae terrae ponderosae adjicias, eas partes peregrinas separare possumus.

*) CRELLS *chemische Annalen*, Bd. I. S. 207. (1791.)
BLUMENBACH *medizinische Bibliothek*, Bd. 5. St. 3.
S. 534. vbi GIRTANNERVS breuissime experimenta
WATTII recenset.

**) l. c.

***) *Taschenbuch für Scheidekünstler etc.* 1788. S. 16.

S. 4.

Terra ponderosa vitriolata, vel, vt Cl. HERBSTAEDT a) ait, cum acido sulphuris juncta, praecipue reperitur.

a) Spathum ponderosum cuius particulae craefae pulverulentae leviter inter se cohaerent, tactu est aridum. Gravitas non adeo magna, color flavus vel ex albido rubicundus.

b) Spathum ponderosum solidum (dichter Schwespath). Color idem, figura interdum reniformis vel hemisphaerica, intus vel nitore carens, vel plus minusve micans. Fragmentorum interna superficies acerosa (im Bruch splittrich): anguli plerumque

que diaphani: molle, aridum, aliquantum frigidum, ponderosum.

c) Sp̄thum ponderosum lamellatum (blattartiger Schwefsp̄th). Color albus vel purus vel caeruleo rubicundo flavo mixtus. Crystalli vel hyalini vel fumosi vel alio colore praediti sunt. Crystallorum formae variae, pyramides duplices tetraedrae, columnae tetraedrae vel rhomboidales, angulis obliquis, columnae hexaedrae, tabulae tetraedrae vel rhomboidales, vel angulis modo obliquis modo rectis, tabulae octaedrae. Nitor tum externus, tum internus; maior, minorve; interdum plane nullus. Lamellae plerumque rectae, raro curvae, fragmentorum forma rhomboidalis: plerumque diaphanum, continens crystallos pellucidos: molle, subfrigidum, ponderosum. (Spathum ponderosum cum plumbagine junctum in fodina Portway in Angliae provincia Winster reperitur. *wm*)

d) Sp̄thum ponderosum graniforme.

e) Sp̄thum styliforme (stangenförmiger Sp̄th.)

f) Sp̄thum ponderosum friabile. (mulmigter.)

g) Sp̄thum Bononiense, cuius color fumosus est vel nebulosus. Ratione figurae: frustra angulis obtusis, saepe subrotunda, superficie aspera. Nitor internus major, minorve. Fractura lamellata vel fibrosa. Fragmenta subrhomboidea. Diaphanum, molle, aliquantum frigidum, ponderosum.

a) *Systematischer Grundriss der allgem. Experimentalchemie*, Th. II. Berlin 1691. S. 13. §. 400. *Tiberius CAVALLO Mineralogische Tafeln*, 2te Auflage

von FORSTER. Halle 1790. Tab. I. Ordo II.
 SCHMIDT l. c. p. 8. §. 4. de FOURCROY *Handbuch
 der Naturgeschichte und Chemie mit Anmerk. von
 WIEGLEB*, Bd. 2. Erfurt 1788. S. 258. (CRONSTEDT
 id quod spathum ponderosum appellamus, mar-
 mor metallicum appellat, Min. §, 18. 19.)

ww) CRELLS *chemische Ann.* 1785. Bd. 2. S. 440.

§. 5.

Proprietates terrae ponderosae arte ex spatho
 separatae sequentes sunt:

1) Gravitas specifica est 3, 773 et centena-
 rius continet 0, 65 terrae purae, 0, 28 acidi aë-
 rei, 0, 7 aquae.

2) Terra arte parata et acido aëreo imprae-
 gnata, ignis ope aquam et acidum aëreum perdit
 et phlogisti ope caustica redditur. Gravitas eius
 specifica tunc est = 4,00. Solvitur in centum aquae
 purae partibus, et haec aqua gypsum ita decompo-
 nit, ut spathum ponderosum generetur.

3) ab acido salis, a) nitri b) et aceti solvitur,
 et salia inde orta produnt formam crySTALLIFATAM.

4) Cum acido vitrioli juncta spathum ponde-
 rosus generatur, et in centenario est 0, 67 terrae
 purae 0, 30 acidi, 0, 03 aquae. c)

5) Ab igne funditur, sed non in gypsum abit.

6) Ab acido fluoris ope affinitatis conjungitur,
 si terra ponderosa nitrosa et salia fluorata commis-
 cen-

scentur, sed nondum evictum est, an forma ejus in crystallos abeat. *d)*

7) Ab acido phosphori solvitur, ab aqua non solvitur. Facillime hoc sal obtinetur, si terra ponderosa acetata ope acidi phosphori decomponitur. Hoc sal ope ignis in massam myrrhinam abit. *e)*

8) Cum acido arsenici sal obtinetur, quod ab aqua difficile solvitur. Optime obtinetur si terra ponderosa acetata cum acido arsenici miscetur. Crystalli huius salis habent formam foliatam. *f)*

9) Sal sedativum etiam solvit terram nostram, et sal inde productum ab aqua difficile solvitur. *g)*

10) Sal succini nostram terram solvit et sal ab aqua difficile solvendum format, cuius crystalli sunt graniformes. *h)*

11) Acidum lapidis ponderosi terram ex solutione in aceto praecipitat. *i)*

12) Sic etiam acidum molybdaenatum praecipitat terram ponderosam salitam et nitrosam. Sal inde productum difficile ab aqua solvitur. *k)*

13) Acidum tartari purum, si ad saturationem usque cum terra ponderosa conjungitur, sal exhibet difficile ab aqua solvendum: si acidum praedominat, crystalli huius salis hexaedri columnales sunt, *l)* facile ab aqua solvuntur et acidum igne perdunt.

14) Acidum citri etiam terra nostra combinatur et sal inde productum ab aqua facilius quam antecedentia solvitur.

15) Acidum falis acetosellae purum terram ponderosam solvit, si cum ea coquitur. Sal inde productum e granis constat. *n)*

16) Acidum sacchari lactis terram ponderosam solvit, sed sal quod inde producitur nondum satis perscrutatum est. *o)*

17) Flores benzoës terrae ponderosae junguntur, sed sal inde productum ab aqua difficile solvitur et nondum satis cognitum est. *p)*

18) Acetum destillatum terram ponderosam facile solvit: sal inde productum est terra ponderosa acetata, massa salina forma indeterminata, aëre facile deliquescens, sapore urente. *q)*

19) Ad tubum ferruminatorium caustica redditur, in aqua solubilis, cum acidis non effervescent. Cum alcali sodae non effervescit: a borace minori cum effervescentia solvitur. Sic etiam a sale microcosmico, sed maiori effervescentia *r)*, in apparatu cum aëre dephlogificato cum impetu funditur et a carbone resorbetur. *s)* Idem etiam observabat Cl. LAVOISIER *t)* qui simul animadvertit, terram ponderosam relictam causticam redditam esse, et concludit inde, terram ponderosam puram aëre dephlogificato non esse fundendam.

a) HERMBSTAEDT l. c. p. 79. §. 480.

b) Ibid. §. 464.

c) Ibid. §. 440.

d) HERME:

- d) HERMBSTAEDT l. c. §. 496.
- e) Ibid. §. 507.
- f) Ibid. §. 515.
- g) Ibid. §. 525.
- h) Ibid. §. 533.
- i) Ibid. p. 112.
- k) Ibid. p. 114.
- l) Ibid. §. 549.
- m) Ibid. p. 123.
- n) Ibid. §. 554. Cum acidum sacchari cum hoc acido conueniat, acidum saccharinum etiam eandem rationem ad terram ponderosam habet. vid. BERGMANN von der Zuckersäure *Kl. ph. chem. Schriften* Bd. I. Abth. 2. übersetzt von TABOR, Fkft. am Main 1782. N. VIII. p. 575. §. 7.
- o) HERMBSTAEDT l. c. p. 151.
- p) Ibid. p. 133. §. 563.
- q) Ibid. p. 159. §. 573.
- r) BERGMANN *kl. ph. chem. Schften.* Bd. 2. XXV. vom Löthrohr S. 548.
- s) HEYERS *Schmelzungs-Versuch mit Feuerluft,* S. CRELL *chem. Ann.* 1785. p. 382.
- t) *von der Wirkung des durch dephlogistisirte Luft angefachten Feuers,* zu CRELLS *chem. Ann.* Bd. 2. 1789. S. 455 — 54.

§. 6.

Haece terra habet omnino quasdam proprietates cum terra calcaria communes, et quidem frequentes:

1) terra ponderosa post vsionem vti terra calcaria ab acidis sine effervescentia solvitur.

2.) Ter-

2) Terra ponderosa cum aqua pura gradu LX caloris thermometri Fahrenheitiani speciem aquae calcis exhibet, quae plantarum colores mutat, salis alcalinis acidum aëreum eripit, eademque caustica reddit, sulphur solvit, sublimatum corrosivum luteo colore praecipitat, Mercurium dulcem nigro colore tingit et aëri exposita cremore, ut aqua calcis, obducitur, sed omnino a terra calcaria est diversa.

a) Terra calcaria vitriolata ab aqua solvitur, barytes non.

b) Barytes aëratu ignis vi ad fusionem perducitur, gypsum non.

c) Barytes acido vel nitroso, vel muriatico solutus, in crystallos, qui in aëre non liquescent, redigi potest; terra calcaria vero non.

d) Terra ponderosa acetata efficit sal medium liquefcens quasi gummosum.

e) Barytes et acidum fluoris mineralis exhibent salia multo solubilia, quam salia ex copula terrae calcariae cum iisdem acidis.

f) Solutiones barytis sapore paululum amaro praeditae sunt.

g) Barytes calcinatus et aqua destillata solutus destruit omnia salia vitriolica media et terrea et salita et metallica, et exinde producit spathum ponderosum.

a) v. BERGMANN *Kl. ph. chem. Werke*, Bd. I. 1te Abtheilung, 1782. *von der Luftsäure* p. 52. §. 10.

§. 7.

Quae cum ita sint, nunc ad separationem huius terrae ex spatho ponderoso venio, ad quam rem exequendam hucusque sex methodi fuerunt communicatae. Omnia vero potissimum pendent a spatho ponderoso, quod ita comparatum esse debet, ut absint omnes partes metallicaë e. g. plumbeae, arsenicales. Sic spathum illud omnino commendare possumus, quod Ilmenaviae reperitur, quia est album, solidum, compactum, crystallisatum: etiam pondere consueto gaudere debet. Minime superfluum esse videtur, si spathum ponderosum ante terrae separationem spiritu salis ammoniaci purissimo digeritur, ut pateat, an cuprum contineat nec ne? Priori enim casu spiritus colore cyaneo tingitur.

§. 8.

Primam methodum BERGMANNVS a) tradidit, quae sequens est. Spathum ponderosum in subtilem comminuitur pulverem, qui cum alcali fixo et pulvere carbonum in proportione anatica commixtus, in crucibulo clauso per horam igniatur. Massae pulverisatae affunditur acidum nitri vel muriaticum dilutum, donec omnis cesset effervescentia et liquor acidus maneat, et praecipitetur omnis terra alcali fixo aëtrato. Quod intactum remanet spathum ponderosum, conservatur ad sequentem operationem, vbi iterum decomponitur.

Alteram methodum SCHEELIUS *b*) proposuit. Miscuit nempe spathum ponderosum probe comminutum cum duplo pulveris carbonum et tanta quantitate mellis, vt massa crassa inde evaderet. Haec mixtura in crucibulo probe tecto per semihoram lucide igniata est. Vase refrigerato, massa hepatica pulverisata est eique acidum muriaticum sextuplo aquae dilutum paulatim adfusum est, donec effervescere desineret. Liquore ignis ope calefacto, terra non soluta fundum petiit. Tunc solutio limpida decantata, pulvisque relictus probe edulcoratus est, eadem ratione cum pulvere carbonum calcinatus et tum acido muriatico solutus est. Omnis solutio muriatica, vt calefiat, necesse est, eum in finem vt odor hepaticus avolet: quo facto ope salis tartari praecipitatur.

Tertiam methodum Cl. de MORVEAU protulit. *c*) Praecipit nempe vt spathum ponderosum probe comminutum cum pulvere carbonum ignietur: quo facto aceto destillato solvere et ex hac solutione ope salis tartari praecipitationem parare debemus.

Quarta methodus Cl. WOULFIO debetur et praefertim a cl. WIEGLEBIO *d*) commendata fuit. Formula haec est. Spathum ponderosum cum pari alcali fixi quantitate calcinetur, deinde aqua pura probe edulcoretur vt tartarus vitriolatus separetur: postea terra probe siccata acido nitri solvatur et ex hac solutione ope salis tartari praecipitetur. Eandem fere methodum protulit Exc. GREN *e*) quibusdam tamen momentis diuersam. Sumit nempe vnam partem spathi ponderosi et duas alcali fixi vegetabilis. Massam calcinatam aqua probe edulcorat et acido salis solvit, solutionem exacte filtrat

et crySTALLIFICATIONEM promovet. *REMLERUS* *f*) vero methodum *WIEGLEBII* tamquam optimam commendat.

Quinta methodus, quam *Exc. BUCHOLZ* *g*) protulit, haec est. Sumantur unciae decem spathi ponderosi exacte comminuti, misceantur cum unciis viginti alcali fixi vegetabilis puri atque bene exsiccati, liquescant per horae spatium in crucibulo. Postea coquatur massa cum aquae quantitate sufficiente, donec aqua nullum vestigium salis ostendat. Deinde residuum acido salis ab omni acido vitrioli libero infundatur donec omnis terra soluta sit. Id quod relinquitur, est spathum ponderosum non decompositum, sive etiam terra metallica. Nunc solutio decantetur et tinctura laccae musicae vel syrupo violarum est tentanda, an solutio sit saturata. Adjiciatur uncia dimidia terrae ponderosae calcinatae est stet in digestionem per aliquot horarum spatium, deinde iterum liquore vini probatorio *HAHNEMANNI* et *FOYERCOII* tentetur, et si hac admixtione praecipitatum album apparet, fluidum filtratur et crySTALLIFETUR, nisi fortassis necesse sit, ut adhuc aliquid terrae ponderosae calcinatae adjiciatur. — Ultimam methodum tandem *Cl. WESTRUMB* *h*) nuperissime publici juris fecit. Sumere jubet partem unam spathi ponderosi et tres partes alcali fixi vegetabilis purissimi, massam probe pulverisatam et probe commixtam per trium vel quatuor horarum spatium calcinare (vel ut mallem liquescere) ita ut crucibulum colore summe rubro sit tinctum. Postea massae pulverisetur et cum aqua coquatur, donec aqua ab reagentibus non amplius mutetur. Terra hac ratione probe edulcorata, siccetur, et siccata soluitur ab acido salis puro: decantetur solutio

lutio pura et ad siccitatem evaporetur. Nunc mas-
sa salina relicta, quae colore luteo gaudet, in aqua
destillata solvatur et crystallifetur, vbi semper sal
album obtinetur. Hoc loco silentio praeterire non
possum, quod supra laudatus cl. SCHMIDT obserua-
uerit, grana XC. acidi salis sufficere ad gr. LXXXV.
terrae saturanda, si gravitas (specifica acidi salis es-
set $1,098\frac{2}{10}$: 1,000. Crystalli huius salis ab aëre
non mutantur, forma est cubica, lamellosa: drach-
ma vna et dimidia ad solutionem vnciam vnam a-
quae frigidae requirunt. Sapor est urens, amarus,
fastidium excitans. A spiritu vini non soluitur et
in igne acidum non perdit. Decomponitur salibus
alcalicis aëratiss, salibus mediis et neutris vitriolicis,
ideoque solutio aqua destillata purissima parari de-
bet; eam ob rem vero etiam ad detegendum aci-
di vitrioli vestigium adhibetur. Aqua vero destil-
lata, quae ad hanc solutionem requiritur extractum
saturni limpide soluere debet. Combinatio cum
vino antimonii HVXHAMII, suadente Cl. SCHMIDT
adhiberi potest, quamquam Ill. HVFELAND hancce
mixturem dissuadet. Minime vero conjungi pot-
est cum tinctura antimonii acris aut tinctura THE-
DENII et saponata IACOBI et HERMBSTAEDTII, quia
his in casibus alcali in his tincturis contentum, ob
maiores affinitatem ad acidum salis, hoc sal de-
componit. In genere puto, optime terram salitam
ponderosam in aqua destillata solutam puram esse
adhibendam.

a) *Sciagraphia regni min.* Lipsi. et Dessav. 1782. 8.
p. 61. Vid. etiam MACQUER *Chem. Wörterbuch*,
Th. V. 2te Ausg. von LEONHARDI, Lpz. 1790.
S. 803.

b) *Opusc. chem. et phys.* 1788 et 7789. 8. T. II. p.
262.

- c) *Journal de phys.* 1781. Mars. p. 250. Oct. p. 299.
Ieq. *CRELL chem. Ann.* 1786. Bd. II. S. 266 276.
- d) *Exrlebens Chemie*, 1784. §. 215. *Handbuch der allgem. Chemie*, Bd. II. §. 1118. fere eandem praeparationem proposuit cl. HERBSTAEDT: *Systematischer Grundriss der allgem. Experimentalchemie*, Th. II. Berlin 1791. p. 16. §. 402. 403.
- e) *Handbuch der Pharmacologie*, Th. II. Halle, 1792. Vorrede. S. vi.
- f) *CRELLS chem. Ann.* 1786. Bd. 2. S. 401. Adplicuit spathum ponderosum nimis luteum et hac methodo terram aluminarem ferream separavit.
- g) *Chem. Untersuchung über die vorgeblich giftigen Eigenschaften des Witherits etc.* l. c. p. 55. eandem amplexus est EXC. GOETTLING methodum *Taschenbuch f. Scheidekünstl. etc.* pr. anno 1792. p. 176. III. HUFELAND l. c. p. 5. eandem etiam adducit. III. HAGEN *Lehrb. d. Apothekerkunst* 4te Aufl. Bd. 2. Königsb. 1792. p. 268. §. 426. Eandem methodum jam protulit cl. HOFFMANN Vinariensis Vid. *CRELLS chem. Ann.* 1792. St. 2. S. 125—130.
- h) *CRELLS Chem. Ann.* 1792. St. 5. S. 390—399.

§. 9.

Antequam vero ad relationem eorum morborum me conuertam, in quibus hucusque clarissimi nostri aevi Medici terram salitam ponderosam optimo cum effectu adhibuerunt, meum esse duco, varias methodos terram hancce separandi §. antecedenti adductas percerere, et quomodo fieri possit ostendere, quae qualisque methodus pro optima sit habenda. Quod igitur ad primam a BERGMANNO praeceptam methodum attinet, praesertim, uti jam Cl. SCHMIDT docuit, vario modo peccavit:

1) ad-

1) addit pulverem carbonum, cuius additio si sale alcalico utimur, non est necessaria.

2) Ratio salis alcalini ad spathum non sufficit, quia melius et quantitas maior salis alcalici quam minor adhibetur.

3) Gradus ignis non determinatur, cum tamen experientia doceat, ignem esse debere vehementissimum.


4) Tempus vnius horae calcinationi vel, ut mallet, fusioni non sufficit.

5) Docimasiae terrae ponderosae separatae nulla facta est mentio.

6) Non necesse est, ut terra separata antea iterum acido nitroso solvatur et sale alcalico praecipitetur.

7) Metus ne terra durante fusione e vase terreo accipiat ferrum, vanus est, si vasis terreis utimur minime ferro contaminatis. —

Quod ad alteram methodum attinet, ea fere methodo cl. MORVEAU est similis et hac de methodo idem valet, quod mox de methodo MORVEAUI dicendum erit. Caeterum adjectio mellis superflua esse videtur. Methodus quam MORVEAU commendat, quidem a pluribus, etiam a Cl. SCHMIDTIO, commendatur tanquam facilius modus et minoris pretii. Plures tamen, ut e. g. Exp. HAHNEMANN, a) contendunt terram hocce modo separatam nihi aliud esse quam sal medium, quod facilius ab aqua



soluitur, et quamquam Exc. FVCHS, b) hac metho-
do terram obtinuit, tamen uti ipse fatetur, mini-
me haec methodus methodo WIEGLEBII, BVCHOL-
ZII et WESTRVMBII est praeferenda, quia ut ex
experimentis Exc. FVCHSII apparet, non magna ter-
rae purae quantitas obtinetur et ob acetum destil-
latum non minoris est pretii. Etiam eo vitio la-
borat, quod nimis sit ambigua. Methodus WIEG-
LEBII his vitiiis quidem libera est, attamen solutio
terrae separatae in acido nitri superflua est. Bre-
uissima et optima esse videtur ea methodus quam
Ill. BVCHOLZ et cl. HOFFMANN protulerunt et quam
meritissimus WESTRVMB magis determinavit, tum
quoad tempus fulionis tum quoad edulcorationem ter-
rae. Hac enim methodo purissimi, pellucidi cryalli
obtinentur.

a) CRELLS *chem. Ann.* 1889. Bd. 2. S. 143.

b) CRELLS *chem. Ann.* 1793. St. 2. S. 149. folg.

SECTION II.
M E D I C A.

Quod ad usum hujus remedii attinet, communis fors quorumvis aliorum et ipsi contigit. Fuerunt nempe, qui illud laudibus nimium elatum vbiuis commendarent: fuerunt alii, qui omnino ne ullam quidem vim ipsi inesse contenderent: immo fuerunt, qui illud pro veneno mortifero haberent et valde diffamarent. *) Sed liceat nobis absque vilo partium studio et praejudicio effectus hujus remedii examinare et deinde concludere quid de illo statuendum sit. Si autem partes constitutivas chemice exploramus, id quod priori huius opusculi sectione factum jam est, vis et efficacia ejus in dubium vocari nequit. Pro partibus constitutivis, quas a spatho ponderoso aliisque remediis, in praeparatione additis, accipit e. g. pro acido salis contento, vim et effectum exferit contra vermes intestinales. Hoc vero, quod a priori colligimus, experimentis quoque confirmatum est. Licet nonnulli Medicorum contendant, hoc remedium veneni instar et quibusdam in locis ad glires interficiendos adhiberi; experimenta quae Ill. BUCHOLZ instituit contrarium satis probant. Hic enim vir doctissimus luculenter demonstravit, witheritem nihil aliud esse quam terram ponderosam acido aereo conjunctam, et venenosum igitur ejus effectum vel a vulneratione mechanica, quae per cuspidem ejus

B 4

eadem

*) Haec diuersitas sententiarum praecipue inde orta esse videtur, quia terra ponderosa salita, uti de aliis quoque remediis observatum fuit, pro diuersitate climatis et aliarum conditionum varios producit effectus.

eadem ratione ac per vitrum fractum stomacho infertur, vel ab acido aereo cum eo conjuncto deriuandum esse. Terram ergo ponderosam corpori humano damnum non inferre, tam ex iterata experientia, quam ex usu ejus continuato manifestum est: si vero neque satis caute neque in tempore adhibetur, noxam inferre posse nemo negabit. Hac enim ratione optimum adeo et maxime egregium remedium magis noxae quam fructui erit. Porro objectum est, hocce remedium, tanquam resoluens, non majorem et quandoque minorem effectum probare, quam alia. e. g. terra foliata tartari etc. Sed quaestio oritur, quinam omnium salium mediorum ejusmodi vires resolventes, incidentes et specificas in glandulis tumefactis et induratis hucusque exseruerit, vt cum hoc comparari possit? Pessimae adeo glandularum indurationes et quidem in partibus remotissimis, e. g. in testiculis, hoc solo remedio adhibito mollesctae et sublatae sunt. Hanc vero terram omnibus salibus mediis palmam praeripere clarum est, quia ad aliquot grana tantummodo data iam effectus producit optatissimos. Praescribitur plerumque sequenti formula, vt nempe drachma vna soluatur in aquae destillatae vnciis duabus, *) addito, praesertim si parvulis porrigi debet, syrupo quodam dulci. Haec solutio adultis ad XL. aut L. imo ad LX., robustis vero et huic jam adfuesctis adeo ad centum guttulas et vltra ter vel quater quotidie, et parvulis ad X. vel XX. guttulas, habita nempe aetatis et constitutionis semper ratione, dari potest. Denique quaeuis dosis cum aqua destillata sumenda et pro potu post haurien-

do

*) Haec praescriptio semper adhibetur in Collegio clinico medico-chirurgico Ill. LODERI et HURELANDII.

do eadem aqua destillata adhibenda est, quia, si cum aqua fontana communi permiscetur, permultae partes alcalinae facile praecipitantur et destruuntur. Durante terrae ponderosae salitae vsu interdum lenia purgantia exhibenda sunt et corpus saepius in aere libero mouendum atque a cibis tenacibus abstinendum est. In eo sane causa quaerenda est, cur multi Medicorum hujus remedii effectum non viderint, quia id nec diu, nec satis caute adhibuerunt. Sequantur velim ii, quibus effectus huius remedii nullus adhuc apparuit, consilium, quod supra dedi, et sane haud dubitabunt, in sententiam nostram transire.

Si quis vero hoc remedio diutius et dosibus auctis uti velit, vel, si Medico res sit cum hominibus valde sensibilibus, tunc nauseae vel vomitus removendi causa, extractum aurantium vel aliud ejusmodi acerbum et aromaticum remedium, quod etiam separatim per vices sumi potest, addendum erit. Hoc in casu etiam extractum hyscyami admisceri solet.

Pro vsu externo solutio debilius ordinatur, ita, ut e. g. sumatur terrae pond. sal. drachma vna et solvatur in aquae destillatae vncis quatuor vel pluribus.

Pro infricando misceri potest cum vngt. de althaea: e. g. Recipias terrae pond. sal. drachmaram vnam, vnguent. de althaea vnciam vnam. M. exacte.

Fortasse hoc remedium, cum illud praestans inuentum fuerit et aduersus ascarides et in aliis morbis verminosis, etiam in infarctu, induratione et in-

de exorta contractione intestini recti; posset etiam in haemorrhoidibus mucosis clysmatibus admisceri. Spero quoque fore, ut pro injiciendo in fluore albo ex causa scrofulosa orto, (quo in casu jam ab Exp. KOEHLER bono cum successu adhibitum est) in scirrhis uteri et ovarii, in ophthalmia scrofulosa et in tuberculis lacteis mammarum bono cum successu adhiberi possit. Etiam emplastris admiscetur.

Interdum vero vomitum excitat: tunc vero vltus omittendus et systema nervorum irritatum, lacte pro potu saepissime hauriendo, cataplasmatibus et clysmatibus, quibus laudanum additur, diligenter applicatis, leniendum est. Quo facto, denovo, sed dosibus admodum exiguis, porrigi debet.

Omnibus experimentis probe perpensis, terra ponderosa salita pro egregio et primo fere omnium remediorum incidentium et resolventium merito habendum est. Non solum enim mucum viscidum in primis viis resoluit; sed et praepimis in systemate glanduloso effectum suum probat, obstructions indurationesque tollit, lymphanque viscidam mobilem redditam e corpore expellit. Effectum igitur, tartari emetici instar, in dosibus minoribus producit et praecipue tunc, quando, uti jam supra monui, dosibus majoribus cum aqua calida ordinatur. In aliis, uti tartarus emeticus, alui dejectionem, in aliis urinae excretionem frequentiore[m] reddit. Ex quibus haec dictis facile intelligi poterit, quibusnam in morbis hoc remedium effectum suum praecipue exserat. Praepimis ille conspicuus est in scrofulis, struma a) aliisque glandularum, nec non

a) Vid. HUFELANDS *Erfahrungen über die Kräfte und*

in scroti *b*) et testiculorum indurationibus. Sic etiam vim cicutae, quae huic admixta in cancro adhiberi potest, augere videtur. Sed terra ponderosa salita in ejusmodi morbis, vbi, omnibus fere corporis humoribus per miasma scrofulosum jam corruptis, metastases versus quasdam torporis partes factae fuerint, praesertim, si jam spina ventosa vel caries adfit, exiguum tantum praestat effectum. Ab initio huius morbi autem maxima cum vtilitate adhibetur.

Maxime et quam praestantissime vero vim suam exeruit in intumescencia abdominis infantum *c*) communi, a vermibus intestinalibus vel a coacervatione mucii orta. Hic effectus facile explicari potest, cum hoc remedium partibus constitutivis suis vires incidentes mucumque resolventes possideat. Terra ponderosa salita non mucum solum, vermium intestinalium asylum, resolvere et tollere, sed et vermes ipsos necare mihi videtur: quo facto eorum fortasse cadavera per digestionem penitus soluta atque in mucii speciem redacta per alvum eiciuntur. Hoc ergo remedium in omnibus morbis verminosis egregio cum fructu datur, praecipue cum

den Gebrauch der salzsauren Schwerverde, Erfurt 92. q. 10 — 15. GOELING in diss. *de terra pond. sal.* pag. 15. und 16. KLOHSS in *Medicinischen Bemerkungen über die Wirksamkeit der salzsauren Schwerverde*, p. 17 — 23 — Porro vid. *observatt.* dissertationi nostrae adjunctas. 1. 4 et 5.

b) HUFELAND in scripto jam cit. pag. 20. 2) *Observatt.* ad hanc dissert. obs. 2 et 3.

c) v. HUFELAND in libro supra cit. pag. 15 u. 16. — KLOHSS in *med. Bemerk.* p. 33 — 38. *Observatt.* ad hanc diss. 13. und 14.

aegroti a vermibus vexati plerumque tam sensibiles sint, ut alia magis irritantia fortioraque remedia vix ferre possint. Hujus autem vsu omnia haec mala sine magna irritatione vel vehementi effectu, systemati nervoso damnum inferente, tolluntur. Praecipue praestans inuentum fuit aduersus ascari- des, quamquam ejus vi et lumbrici ex abdomine expulsi fuerint.

Haud minus effectus ejus conspicuus est in morbis cutaneis, ut in exanthematibus, herpete, scabie, *d*) tinea capitis et praesertim exanthematibus serofulosis, de quibus plures auctores mentionem fecerunt.

Adeo etiam in aliis morbis chronicis, ut in arthritide, *e*) in mensium obstructione, praecipue, quando ea ex obstructione pituitosa orta fuerit, et in hydrope magno cum emolumento adhibita est. *f*) Idem evenit in pituitoso infarctu primarum viarum et in obstructione mesenterii, *g*) Etiam in asthma-
mate

d) HUFELAND in scripto jam cit. p. 18 — 20. GOERLING diss. p. 11 — 15. KLOHSS in observatt p. 38 — 42. — *Observatt. nostr. obl.* 8 — 12.

e) *observat.* huic diss. adjuncta 6.

f) *observat.* ad diss. meam 6 u. 7. (Haec occasione mihi in mentem venit foemina quaedam, quae strumae iugentis causa ad institutum clinicum veniebat. In hac per quamvis solutionis terrae ponderosae dosim menses excitatae sunt.)

g) Vid. HUFELAND in script. cit. p. 17. GOERLING diss. p. 7 — 10.

mate mucoso et sicco, in tuberculis pulmonum *h)* et in vlceribus, praesertim serofulosis et scabiolis effectus ejus praestantissimus *i)* apparuit. Sed haec sufficiant de usu remedii nostri. Transeo ad observationes ipsas, quas partim Instituto clinico medico-chirurgico, quod sub auspiciis Virorum illustrium LODEKI et HUFELANDII in hac academia floret, partim aliis Fautoribus et amicis debeo. Horum Virorum sub fide has ipsas observationes quidem exponere liceat, moneo tamen, me illarum, quas ex diario Collegii clinici supra laudati refero, non testem solum fuisse, sed nonnullos eorum, de quibus sermo est, aegrotorum curae meae traditos fuisse.

h) HUFELAND in script. cit. pag. 18. GOERLING diss. p. 15.

i) KLOHSS in *Bemerk.* p. 42 — 52. *oservat.* huic diss. adjunct. obs. 12.

De effectu solutionis teerrae ponderosae salitae.

I. *In strumis, serofulis, scirrhis et induratione scroti.*

Observatio 1.

E diario Collegii clinici desumpta.

Homo viginti quatuor annorum a febre putrida biliosa modo liberatus, in sinistra maxillae parte tumore scirrhuso, qui a glandula maxillari et parte inferiori parotidis ortum trahebat, afficiebatur. Varia remedia sine ullo fructu data sunt. Tandem solutione teerrae ponderosae salitae internae adhibita scirrhus breui tempore euauit.

Observatio 2.

E diario Collegii clinici.

Homini annum agenti tricesimum nonum ex ulcere pedis male curato scrotum tumefactum induratum et insuper multis ulcusculis obductum est. Brevi antea affectus fuerat gonorrhoea, absque tamen dysuria et dolore gravi, sed effluxus tantum muci albi aderat. Dabatur pulvis purgans cum Mercurio dulci. Diebus quatuordecim elapsis ulcera scroti sanata quidem, sed testiculi adhuc indurati erant. Iam solutio teerrae ponderosae praescripta est, quo facto induratio indies mollior facta brevi penitus cessavit.

Observatio 3.

E diario Collegii clinici.

Homo viginti quatuor annorum, iam anno aetatis suae decimo quarto testiculi sinistri induratione laboravit, quam Ill. STEIN, illo tempore Castellis degens,

gens, ope suspensorii sustulit. Anno vero 1791 mense Septembri infectus gonorrhoea maligna tandem ulceribus venereis, bubonibus, scirrho testiculorum et denique scabie laboravit. Tum lenam profectus ab instituto clinico opem flagitavit. Data sunt ipsi ab initio mercurialia, quibus adhibitis omnia mala, praeter testiculorum scirrhum, sublata sunt. Ad hoc malum quoque removendum solutio terrae ponderosae praescripta est, quo facto testiculi indurati et tumidi indies molliores et minores evaserunt. Durante huius medicamenti usu tandem in seroto fistula apparuit, ita, ut testiculus ipse specillo immisso tangi posset. Tamen vero nullum aliud remedium, quam solutio terrae ponderosae, doibus vero indies auctis, pro usu interno adhibita est, quo facto et fistula sponte sanata est et scirrhosi tumores penitus disparuerunt.

Observatio 4.

E diario Collegii clinici.

Puella undecim annorum multis glandulis subaxillaribus scrofulosis et valde dolorificis laborabat, quarum aliquae, praesertim sub maxilla dextra et in collo, in ovi gallinacei magnitudinem increverant. In latere colli dextro locus inveniebatur exulceratus et valde induratus cum sinibus ascendentibus et descendentibus. Abdomen durum et tumidum, facies pallida, pulsus parvus, manus frigidae, appetitus exiguus, corpus macilentum et excrementa dura erant. Non diu antea, et vermes per alvum eieci erant. Primo ordinabatur remedium purgans et deinde solutio terrae ponderosae, ita, ut initium fieret cum viginti guttulis ter quotidie sumendis, quae dosis sensim sensimque ad sexaginta guttulas augebatur. Quo remedio per quinque menses interne adhibito,

ulcus

ulcus, quod in collo sedem habebat, per eandem solutionem externe adhibitam tollebatur, ita, ut aegrota in sanitatem pristinam rediret.

Observatio 5.

Ab Exp. BRETSCHNEIDER mihi communicata.

Foemina viginti sex annorum in latere colli sinistro haud procul a clavícula tumore scrofuloso duro atque doloroso vexabatur, qui circiter magnitudinem nucis avellanae habebat. Causa huius mali non cognita erat. Cum vero lingua muco obducta esset, emeticum et quidem bono successu dabatur. Menses semper iusto tempore apparebant et praeterea illa integra sanitate fruebatur. Praescribatur solutio terrae ponderosae salitae ad quinquaginta guttulas quotidie sumendas. Continuato sic per tres hebdomadas remedii usu, dolor in peripheria tumoris scrofulosi penitus cessavit et tumor ipse latior molliorque factus est. Externe quoque vis electrica, sed sine fructu, adhibebatur. Deinde usus solutionis modo memoratae per octo dies, denuo sed sine optato successu continuabatur. Tumor ergo parvus mollisque in collo eius ad hodiernum usque diem remansit, et quia nihil molestiae vel doloris adfert, ulterior omnium medicamentorum usus omissus est.

II. De huius solutionis usu et effectu in arthritide et catamenii retentis.

Observatio. 6.

Ab Exp. BRETSCHNEIDER mihi communicata.

Virgo quaedam XVI annorum catamenii adhuc carens per sex iam hebdomadas doloribus vagis in brachiis et dorso vexata erat, qui tandem sedem fixam in

in pedibus occupabant. Pedes tunc ita tumescebant, ut aegrota ambulare haud valeret. Dolores huic malo insuper accedentes acerbissimi et intolerabiles fere erant. Medicus domesticus in auxilium vocatus, fluxum menstruum dicebat omnino excitandum esse. Tepidos igitur vapores genitalibus admoveri et epithemata emollientia abdomini imponi iubebat. Quo facto dolores acerbiores orti sunt, ita, ut crebriores lipothymiae eos sequerentur. Tandem Exp. BRETSCHNEIDER rogatus est ut proficisceretur ad aegrotam. Inveniebat illam in statu miserrimo. Conquerebatur praecipue de gravissimis doloribus in genitalibus, e quibus tamen nullus liquor effluebat. Primo ordinabatur emeticum non solum transpirationis promovendae causa, sed etiam, ut resolventia postea sine periculo porrigi possent. — Aegrota, medico praesente, magnam mucii copiam una cum viridi bili vomitu eiiciebat. Qua occasione thesis illa, a linguae nempe munditie et mediocri appetitu in arthritide et rheumatismo non semper valere consequentiam ad absentiam sordium primarum viarum, denuo confirmabatur. Hoc enim casu lingua ne ad minimum quidem sordida reperiebatur. Aegrota tandem vomitu exhausta in dulcem incidebat somnum. Committebatur haec postea Medico illius loci, qui rogatus est, ut postero die et sequentibus solutionem terrae ponderosae ad quadraginta guttulas quater quotidie ei porrigeret. Tunc Exp. BRETSCHNEIDER die octavo post certior factus est, genitalia tumida in statum pristinum penitus rediisse doloremque in partibus corporis extremis magis tolerabilem esse: quam ob rem sexaginta guttulas quater quotidie sumendas ordinavit. Quo facto aegrota per tres dies vehementer vexata est diarrhoea, quam tamen nullum aliud malum subsecutum

cutum est, nisi, ut vires paululum debilitarentur. Quarto denique die haec quoque disparuit. Aegrotā vero constrictionibus spasmodicis in genitalibus denuo afficiebatur et ad vesperam catamenia prima vice apparebant. Nox peragebatur inquiete et magna copia sanguinis defluebat. Pulsus, viribus valde minutis, parvus erat et dolores in pedibus magis increverant. Omisso nunc per aliquot dies solutionis iam dictae usu, cortex peruvianus cum angustura dabatur. Die denique quarto fluxus menstruus subsistebat. Iam solutio terrae ponderosae salitae ad sexaginta guttulas quater quotidie denuo porrigebatur, continuato tamen simul corticis peruviani et angusturae usu. Elapsis aliquot diebus magna copia urinae acris et rubicundae secernebatur. Urina haec insuper odorem edebat tam acrem et fastidiosum, ut aegrotā eum vix ferre posset. Sedimentum eius, quod circiter dimidiam partem vasis vitrei implebat, roseo erat colore quam pulcherrimo, quem etiam in charta alba immersa et arefacta non mutabat. Sub hac urina omnia mala mire cessabant, adeo, ut tumor pedum post aliquot dies penitus evanesceret. Die demum decimo aegrotā iterum ambulabat et decimo quarto plenissima sanitate fruebatur. Tamen vero corticis peruviani et angusturae usus una cum solutione, de qua sermo fuit, per aliquot dies adhuc continuatus est.

Observatio 7.

E diario Instituti clinici.

Puella septemdecim annorum struma primum nascente laborans, de molestia in respirando, tussi sicca, torminibus in abdomine et regione ossis sacri, cephalalgia, aurium strepitu et tenesmo conquerebatur

batur. Mensium adhuc expers ante duos annos eodem tempore, quo fluxus menstruus prima vice apparere volebat, in aquam frigidam inciderat. Adhibebatur ergo solutio terrae ponderosae, ita ut quinquaginta guttulas quater quotidie sumeret. Tribus mensibus sic praeterlapsis catamenia apparuerunt et aegrotata ad optimam restituta est sanitatem.

III. De effectu solutionis terrae ponderosae salitae in morbis cutaneis.

Observatio 8.

[Ab Exc. NICOLAI, Consiliario et Medico Rudolstadtensi, mihi communicata.

Puer quatuordecim anos natus aliquot scrofulis in collo sedentibus vexabatur. Varia remedia a Medico, quem tunc temporis aegrotus adhibebat, in usum vocabantur, sed sine effectu. Malum contra adeo crescebat, ut tandem totum caput scrofulis obductum esset. Tandem aperiebantur scrofulae in capite et exanthema apparebat, quod quasi medium inter favum et achorem tenere videbatur, scrofulis, quibus collum affectum erat, simul magis magisque crescentibus. Tunc Cl. NICOLAI in auxilium vocabatur. Primo ille resolventia et laxantia lenia ordinabat. Continuato vero per quatuor menses horum medicamentorum usu, vir ille Cl. malum magis auctum, quam imminutum esse animadvertabat. Itaque ne fortasse tinea capitis maligna inde nasceretur, ad usum terrae ponderosae salitae transibat et quidem ita, ut terrae pond. sal. drachman unam in uncia una aquae destillatae, cui non nihil syrupi aurantiorum admiscebatur, solvi et aegrotum quadraginta

guttulas ter quotidie sumere iuberet. Qua dosi postea sensim sensimque ad septuaginta guttulas aucta aegrotus sanitatem optimam post octo hebdomadas nactus est.

Observatio 9.

E diario Collegii clinici.

Duae puellae, quarum altera unum circiter, altera tres annos agebat, exanthemate quodam sicco ita afficiebantur, ut facies, abdomen, et praecipue partes corporis exteriores pustulis obducerentur. Mater habitu erat valde cachectico et parvulae praeterea cibus farinaceis et pinguibus alebantur. Multis remediis frustra adhibitis, tandem solutio terrae ponderosae aqua foeniculi diluta maiori natu ad quindecim, minori vero ad novem guttulas quotidie sumendas praescribatur, qua ratione utraque ab exanthemate facili negotio liberata est.

Observatio 10.

E diario Collegii clinici.

Homo septemdecim annos natus iam per tres annos herpete miliari in capite et pedibus vexabatur, causa tamen morbi semper latente. Praescribentur solutionis terrae ponderosae unciae tres, et quidem ita, ut ab initio viginti tantum guttulae aqua destillata dilutae quater quotidie darentur. Qua vero dosi semper circa quemvis diem secundum quatuor guttulis aucta, herpes quotidie mitior factus tandem evanuit.

Obfer-

— 2 —

Observatio II.

E diario Instituti clinici.

Femina annum agens quadragesimum, catameniiis regularibus, herpetis humidi causa, qui a cruribus ad genitalia usque se extendebat, in Institutum clinicum recepta est. Vberiori examine ibi instituto patebat tandem, hoc malum a scabie repercussa ortum traxisse. Scabiem per inoculationem denuo excitare frustra tentatum fuit. Pilulae porro Plummeri, ptisana deinde data est ex ligno guaiaci, cortice ulmi, stipitibus dulcamarae, baccis iuniperi et radice bardanae, nec non praescriptus est pulvis ex floribus sulphuris cum nitro et tartaro vitriolato. Hisce remediis per duos integros menses interne, et pro usu externo unguente IASSERI, sine ullo tamen fructu, usa est. Tandem quatuordecim guttulae solutionis terrae ponderosae ter quotidie dabantur, quo remedio et fasciis THEDENIANIS applicatis aegrotat ad pristinam sanitatem restituta est.

Observatio 12.

Ab Exp. BRETSCHNEIDER [mihi communicata.]

Duo iuvenes scabie praecipue in manibus et pedibus valde affecti erant. Primis viis purgatis, solutio terrae ponderosae salitae ad L. guttulas quater quotidie sumendas praescribatur. Quatuordecim dies iam elapsi erant, nulla mutatione secuta, nisi ut aegroti urinam turbidam copiosissime redderent et quandoque sudarent. Dosis ergo quaevis viginti guttulis augebatur. Cui vero cum adhuc decem guttulae adderentur, nausea, anxietas et transpiratio magis aucta inde nascebatur. Tribus vero diebus post

haec symptomata molesta praeter transpirationem auctam cessabant. Scabies ipsa indies mitior adparuit, ita, ut aegroti quinque hebdomadam spatio ad pristinam sanitatem redirent. Alter vero horum adhuc per aliquod tempus ulcere scabioso vexabatur, quod inter pollicem et indicem manus sinistrae remanebat. Solutio terrae ponderosae pro externo usu et pro interno decoctum ex china ordinabatur, quo facto et hoc malum penitus cessabat. Memoratu adhuc dignum est, quod solutio terrae ponderosae in utroque aegroti, diverso corporis habitu, unum eundemque habuerit effectum.

IV. De effectu solutionis terrae ponderosae in vermibus.

Observatio 13.

Etiam ab Exp. BRETSCHNEIDER mihi communicata.

Puella tredecim annorum saepissime de vehementi dolore in cavo abdominis, pruritu in intestino recto et praecipue de crebiori tenesmo conquerebatur. Adhibito remedio purgante, solutio terrae ponderosae salitae ad XXX. guttulas ter quotidie ei porrigebatur. Subsecuta deinde vehementi diarrhoea, magna copia ascaridum per alvum eiiciebatur. Quo facto omnia mala evanuerunt.

Observatio 14.

Ab Exp. NICOLAI mihi communicata.

Infans septem annorum, iam diu abdomine tumido, pallido colore, vehementi ciborum appetitu, somno

somno inquieto, pruritu narium et pupilla dilatata laborabat, et in partibus extremis tabescere videbatur. Omnia resolventia sine fructu dabantur et quia ex symptomatibus supra narratis colligi poterat, vermes adesse, omnia fere quae extant remedia contra vermes, sed frustra, adhibebantur. Iam vero solutio terrae ponderosae ad XX. guttas ter quotidie dabatur. Continuato usu huius remedii per octo dies ad XXX. et tandem ad XL. guttulas dosis augebatur. Sub initio hebdomadis septimae magna copia lumbricorum et ascaridum cum muco per alvum excernebatur, quo facto indies melior factus ad hodiernum usque diem optima sanitate fruitur. Vir ille Clarissimus sub finem epistolae ad me scriptae expressis verbis mentionem fecit, se contra vermes intestinales semper solutionem hanc ordinasse, et quidem tam felici successu, ut nunquam alio remedio opus fuisset.

Observ. 15.

Ex diario Collegii clinici.

Puella quinque annos nata, habitu cacochymico, crebrioribus doloribus in abdomine, alvo tumido et duro, ciborum fastidio, quandoque vero etiam magno appetitu vexabatur. Praescribatur solutio terrae ponderosae ad XX. et tandem ad XXX. guttulas ter quotidie sumendas. Quo remedio per aliquot dies adhibito, duae vel tres sedes secutae sunt, qua occasione permagna copia mucii viscerosi cum ascaridibus et lumbricis per alvum excernebatur. Die sexto postea remedium laxans ei dabatur, per quod permulti vermium intestinalium denuo eiciebantur. Continuato huius medicamenti usu per dies duodecim, aegrota ad plenissimam restituta est sanitatem, qua adhuc fruitur.

T h e s e s.

- 1) *Post coenam quies magis conducit, quam motus.*
- 2) *Potus calidus plus damni infert, quam utilitatis.*
- 3) *Vim imaginationis gravidæ in corpus embryonis equidem non plane negarem.*
- 4) *In angina inflammatoria gargarismata et injectiones ex aqua saturni suadenda sunt.*
- 5) *Ery-*

5) *Erysipelas, curatione interna non neglecta, satis cito et sine exulceratione per remedia adstringentia frigide adhibita tolli potest.*

6) *Trepanatio in fracturis et fissuris capitis nec non in casu extravasationis sanguinis non semper necessaria videtur.*

7) *Placenta non diu post partum extrahenda est.*

8) *Omnes morbi putridi sunt contagiosi.*

5) *Ery*
fat
me
li

6) *Trep*
ne
nis

7) *Pla*
da

8) *Om*



Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

gleſta,
r re-
ta tol-

capitis
angui-

rahen-

ſi.